

De^a gestis Frederici [a] [A] imperatoris. Schisma in Ecclesia [b] ortum.

CAP. LIV.

Sub anno Domini^d MCLV^{ce incarnationis} Fredericus factus est imperator Romanus, qui, mortuo papa Hadriano [B] anno Domini MCLVIII et Alexandro [C] canonice substituto, adeo cessit in partem Octaviani schismatici [D], quod fidelitatem et obedientiam ei iuravit et infinitos de imperio suo clericos et laicos hoc idem jurare coegit. Post hunc Guidonem de Crema [E] in eodem manutenuit schismate, deinde Iohannem de Struma [F] per tempora multa, scilicet XVI annos [e] (58).

V: XXI annis

De igne maximo, qui fuit in domo Casalini.^a

CAP. LV.

Item anno MCLXI accensus est ignis in porta Montanaria in domo Casalini, qui fere totam combussit civitatem, sed non ecclesiam maiorem, jam coopertam tegulis. Ad haec ergo [d], ut Faventini pestem ignis possent vitare, conductis aliunde magistris, tegulas et cuppos [e] ad cooperiendum domos facere, tempore illo coeperunt; et sic, Deo dante, plaga cessavit praedicta.

enim

Mediolanum destructum a Frederico.

CAP. LVI.

Anno Domini^d MCLXII in mense^M martii Mediolanenses, intolerabili fame coacti, sese domino tradiderunt sine pactione imperatori, qui

[a] *De gestis Frederici.* Sic Cod. M. — [b] *Schisma in Ecclesia.* In C. M., *Scisma et Sisma* legitur. — [c] *scilicet XVI annos,* C. M. In C. V., *scilicet XXI annorum.* — [d] *Ad haec ergo,* C. M. In C. V., *ad hoc;* et fortasse melius, pro ergo, Cl. Mitt. legit etiam. — [e] *tegulas et cuppos.* Codd. sic.

[A] Fridericus scilicet I, a russa barba *aenobarbus* dictus, is erat. Patrem habuit Fridericum Sueviae ducem, matrem vero Iuditham Henrici Nigri filiam; Conradique III regis Germaniae et Italiae fuit nepos.

[B] *Papa Hadriano,* nempe huius nominis IV, qui revera eo ipso, quo scribit Tolosanus, obiit anno.

[C] *Alexandro,* nempe III.

[D] *Octaviani schismatici,* scilicet antipapae, qui nomen Victoris III assumpsit.

[E] *Guidonem de Crema,* S. R. E. Cardinalem, qui Octaviano Antipapae favebat, et mortuo anno MCLXIV Octaviano, in falso pontificatu successit, nomine Paschalis III sibi adscito.

[F] *Iohannem de Struma,* qui a Papa Alexandro antea fuerat episcopus Tusculanus creatus, deinde apostata et omni vitio infectus, se antipapae Paschali defuncto substituendum curavit, anno 1168.